

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**EXEGESIS || DIVINAE ATQVE || HVMANAE KOI-||nōnias. ||
Autore PETRO BOQVINO || D. Theologo.|| ... ||**

Bouquin, Pierre

Heidelberg, 1561

Cap. III. De deo, priore extremo

[urn:nbn:de:bsz:31-248509](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248509)

possint qui sunt ueri amantes.

De Deo, priore extremo

ἡθικῶν.

CAP. III.

VOcem *ἡθικῶν* esse de classe siue ordine earum quæ *ἡθ.* *τὴ* dicuntur, nemo tam est literarum rudis qui nesciat. In ea uerò classe, distinctione uti solent Dialectici tali, ut alteram uocem fundamentū, alteram terminū illi ex opposito respondentem notare tradant. Quod per se est notum, exemplis illust rare nihil est opus. Satis constat omnibus, *ἡθικῶν* seu societatem unius nō esse, ut de Mediatore Paulus scribit, Gal. 3. hoc est constare nō posse, uerū plures postulare. In hac igitur esse dicimus Deum atq; hominem. ille societatis author est & fundamentum, hic assumitur in consortium: ille dat, iste accipit. In illo est communicatio, ut quibusdam uidetur: in isto communio,

nio, seu actio quaedam, atq; passio. Porro homines sacrarum literarū luce destitutos sensisse atque profectos fuisse hanc etiam corpoream uitam, nos omnes Deo rerum omnium & conditori & conseruatori debere, te-
 Act. 17. stis locupletissimus est Paulus, ut Lucas historiae Apostolicae scriptor nar-
 rat. Eum ergo plus quam profanum esse oportet, qui eidem, uitam, quam uocant, spiritalem acceptā ferre detrectauerit. Quam enim esset praepo-
 sterum, Deo quod caducum & temporariū est deferre: quod autem im-
 mortale & eternum, sibi ipsi uindicare. Scitē sanē ait Augustinus, Prorsus esse alienum, Deo, quod sis, tribuere uelle: quod uerō iustus sis, ei tribuere nolle. id enim est Deo, quod dete-
 rius donare, sibi quod melius est sumere. Autor epistolae ad Hebraeos, Deum nuncupat patrem spirituum, & cum patrib. corporum eum componit: non obscure significans, non
 solum

Act. 17.

Cap. 12.

solū quicquid ad spiritū pertinet, ipsi
 deberi; sed etiā ipsam spiritus, hoc est
 animę gubernationem esse ei permit
 tendā. Verūm quid immoror in pro
 banda re adeò manifesta, ut quisquis
 inficiabit, mentis insanæ nō esse non
 possit? Differendū itaq; mihi esse ui
 detur potius de uitæ istius spiritualis (in
 qua *νοῦνωσία*, de qua nunc agere insti
 tuimus, in primis cōsistit) œconomia
 siue dispensatione. Eam totā Paulus
 Ro. 8. perelegāti gradatione est com
 plexus: Quos, inquit, *præsciuit (Deus)*
 & *prædestinavit cōformes fieri imagini*
filij sui, (ut is sit primogenitus inter mul
tos fratres) eos etiā uocauit: & quos uo
cavit, eos etiam iustificauit: quos autē iu
stificauit, hos & glorificauit. Totius fi
liorū Dei salutis, & cū Christo primo
*genito, *νοῦνωσία* rationē gradibus qua*
tuor distingui ac perfici clarē testifica
tur. Istorū alter hanc quam in isto cor
pore uiuimus uitā præcedit, alter eam

Salutis pio
 rum gradus
 quatuor
 Paulus scit.

b dem

dem sequitur. Ille apud Deum nostrā
 cum Christo ~~inchoat~~ inchoat, eiusq̄
 est ueluti fons. ideo eo quali firmilli-
 mo fundamento inniti debet nostra fi-
 des: quæ nos tantisper dum hic pere-
 grinamur, isti capiti coniungit. Hic ue-
 rō gradus eandem absoluit atq̄ perfic-
 it: in eumq̄ spes fertur. nam p̄ glo-
 riæ illius (quæ ipsos plenē Christo a-
 dunabit) expectatione, se inter huius
 uitæ uarias miseras sustentāt. De duo-
 bus istis gradibus nō ita multa homi-
 nibus patefacere uoluit Deus: tamen
 multa satis & quæ sanis, sobrijs & re-
 ligiosis ingenijs sufficiunt, atq̄, ut de-
 bent, satistaciunt, literis sacris prodita
 sunt. Nonnulli quædam partim non
 admodum firma, partim uerō nō ual-
 de necessaria tradere audent. de qui-
 bus nunc non est dicendi locus. Nam
 de alijs duobus ut dicamus pluribus,
 & susceptum argumentum, & salutis
 nostræ ratio postulant. Duo enim isti
 gradus, hoc est ut Paulus nominat, no-
 catio

Cor. 13.

catio
 propri
 mus
 debet.
 prior e
 mus sp
 neupe
 ficacem
 pocritis
 com : a
 plius est
 Hanc d
 mar, qu
 cōclusi
 Multi u
 quidem
 super d
 los & l
 habeat
 nere et
 passim
 te 24. c
 sionib
 & crea

catio & iustificatio sunt uitæ præsentis
 proprij: ideo de hisce, dum in hoc agi
 mus corpore, cura nobis maior esse
 debet. Ad uocationem, quæ ordine
 prior est, quod attinet, duas ut facia-
 mus species, sacrae literæ nos monent:
 nempe efficacem unam, alteram inef-
 ficacem. illa in credentibus, hæc in hy-
 pocritis & contemptoribus habet lo-
 cum: ac ideo illam iustificatio uelut i-
 plius effectus, hanc minimè sequitur.
 Hanc distinctionem satis clarè confir-
 mat, quòd identidem suis parabolis
 cõclusionis instar surciebat Christus:
 Multi uocati, pauci uerò electi. Si-
 quidem ea Ecclesiæ conditio est tan-
 tisper dum in mundo isto errat, ut ma-
 los & hypocritas admixtos multos
 habeat. De utroq; isto uocationis ge-
 nere etiam meminit Augustinus cum
 passim, tum libro de Lit. & Spir. capi-
 te 34. cum scribit Deum geminis sua-
 sionibus nobiscum agere, ut uelimus
 & credamus, nimirū extrinsecus per

*Vocatio
 duplex.*

b 2 Euan.

Euangelicas exhortationes, & intrinsecus, ubi nemo in potestate habet quid ipsi in mentē ueniat. prior illa, si ista desit, prorsus effectu frustratur.

Esa. 54. Norunt enim filium quos Pater docuerit, ad eum ueniunt quos ipse adduxerit, adeoq; traxerit: denique cui ille donauit, is recipit. Verum paulopost ista de re pluribus. Quod attinet ad testimoniū in tabella notatum ex cap. 1. prioris ad Corinthios, ex eo manifeste cognoscitur, primū uoce *101*

λογωβια
plenam cū
Christo so-
cietatē no-
tat.

λογωβια in uniuersum notari societatem & adunationē cum Christo, quæ per uniuersum Euangelij ministerium fieri solet. Per Euangelicā primū predicationem offertur atq; confert creditibus totum Christi beneficium, deinde confirmatur atq; augetur. Similis omnino uocis istius notatio est cap. 1. epist. ad Philipp. cū Paulus Philippensibus gratulatur *ὡς ἦν ἡ λογωβια* Euāgelij: hoc est, ut paulopost loquitur, quod donatum ipsis esset nō tantum

tum ut in Christum crederent, uerū
 etiam ut ipsius causa affligerent. De
 inde locus uterq; euidenter demon-
 strat, Deum uocationis esse authorē,
 simul etiam uocationis species illas
 duas, de quibus diximus, aperte ex
 epistola utraque conficere possumus.
 Nā credentibus permixtos fuisse plu-
 rimos nomine Christianos, re Chri-
 stiani nominis hostes, ibidem ipse nō
 semel conqueritur. Acciri uerò eos in
 filij Dei societatem, disertè significat
 Apostolus: qua de parte ut nunc di-
 camus, ordo ipse flagitat.

De Christo, Dei hominisq; filio.

CAP. IIII.

Apostoli de beneficio nostrę per
 Christum redemptionis dictu- Per Chri-
 stū & crea-
 uit omnia
 Pater, & re-
 dimt.
 ri, nō rarò etiam creationis rerum om-
 nium per eundem mētionem faciunt:
 quod dum faciunt, non obscure innu-
 ere uolunt, eum diuinę prouidentię
 placuisse modum, ut per quem omnia
 b 3 condi-